

ricorum præceptorū attinet, bene de illis dici potest, quod ex uno absurdo multa alia sequantur. Quatenus n. statuunt feudū esse usumfructū, nec distinguunt inter usumfructū & utile dominiū, res eò devolvitur, ut quoad præsentē quæstionē ad quoddam absurdum devolvatur. Nam etsi ususfructus ad usufructuarium pertinet, & non ad proprietarium, non tamen inde sequitur, quod idem in quæstione jurisdictionis, quia feudum non est simplex ususfructus seu servitus. Licet etiam vasallus in subinfeudatum jurisdictionem habeat non dominus superior, sed & in vindicando præferatur domino: sciendum tamen est, dari appellationē à vasallo ad superiorem dominum, quæ non daretur certè, si nulla penes superiorem dominum remaneret jurisdictio. Imò verò quatenus vasallus subinfeudans jus aliquot retinet, cum tamen non videatur habuisse nisi utile dominium: quid mirum, si & jurisdictionis quid remaneret penes concedentem dominum? Ut eatenus Theoricorum rationes collectæ & corrasæ nullius valoris esse deprehendantur.

THEORICORVM PRÆCEPTORVM

propositio vigesima octava.

*Exercetur
jurisdictio.*

Acquisita jurisdictio in personas & res jurisdictioni subiectas. Clerici judici Ecclesiastico: Laici laico, milites militari judici subiecti sunt, *l. penult. C. de pactis, l. 7. ff. de judiciis*, latè Donnell. 17. *comment. cap. II. 12. 20.*

PRACTICORVM OPINIO.

Similiter & scholares scholastico magistratui sunt subditi, maximè verò, si & persona & res sit scholastica. Consideratio autem hoc potissimum respectu de actionibus procedere videtur, ubi actiones quædam in rem, quædam in personam esse

fe